

Dominus vobiscum

Et cum spiritu tuo

Sursum corda

Habemus ad Dominum

Gratias agamus Domino Deo nostro

Dignum et iustum est

Gratias tibi referimus, Deus, per dilectum puerum tuum Jesum Christum

quem in ultimis temporibus misisti nobis salvatorem et redemptorem et angelum voluntatis tuae, qui est verbum tuum inseparabile, per quem omnia fecisti, et beneplacitum tibi fuit, misisti de coelo in matricem virginis, qui in utero habitus, incarnatus est et filius tibi ostensus est ex Spiritu Sancto et Virgine natus;

qui voluntatem tuam complens et populum sanctum tibi acquirens, extendit manus cum pateretur, ut a passione liberaret eos qui in te crediderunt;

qui cumque traderetur voluntariae passioni, ut mortem solvat, et vincula diaboli dirumpat et infernum calcet et iustos inluminet, et terminum figat et resurrectionem manifestet,

accipiens panem, gratias agens, dixit: Accipite, manducate: hoc est corpus meum quod pro vobis confrigitur. Similiter et calicem dicens: Hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur; quando hoc facitis meam commemorationem facitis.

Memores igitur mortis et resurrectionis eius, offerimus tibi panem et calicem, gratias tibi agentes, quia nos dignos habuisti adstare coram te et tibi ministrare.

Et petimus ut mittas Spiritum tuum Sanctum in oblatione sanctae ecclesiae, in unum congregans, des omnibus qui percipiunt sanctis, in repletionem Spiritus Sancti, ad confirmationem fidei in veritate, ut te laudemus et glorificemus.

Per puerum tuum Jesum Christum, per quem tibi gloria et honor, Patri et Filio cum Sancto Spiritu, in sancta ecclesia tua et nunc et in saecula saeculorum. Amen